

tione, & elegantissima earum Mathematica, stru<sup>c</sup>tura, omnia minora sunt, quam ut unicam particulam vel moleculam accurate definiant. Quotquot in Orbe sunt Physici, in uno flore vel folio per omnia habebunt Secula, quod scrutentur.

## §. IX.

### *Nos ipso<sup>s</sup> non cognoscimus.*

Quam infirme de Mentis Natura & operationibus quicquam affirmare possimus, experitum quivis homo animadvertis. Sed in præsentiarium corpus tantum considerandum sumsimus. Cum Socrate tamen & Cartesio de ejus existentia dubitare nolumus. Sensus interiores primum sunt, quod tractant communiter in eo Physici. Sed quid de iis affirmabimus, cum nec experientia firmiter nobis quicquam demonstraret. Sunt probabiles conjecturæ, prætereaque nihil. Ipsa anima sentiens, vel in brutis ignota latet, & nec Gassendus, nec Fabri, neque Willius ignem vitalem, quorsum sic dictos Spiritus Animales referimus, satis declarabit. Nam de Animæ Sentientis origine, sensu & motu inextricabiles sunt Controversiæ. Quæ speciatim de sensibus externis notanda sunt, in priori Capite tractata sunt. De motu autem tanquam altera animali facultate est adhuc profundior, Controversia. Motus naturales in Corde, respiratione, concoctione &c. nemo mortalium quoad causas investigavit; cū cerebri structura, quæ præcedanea esse debebat, prorsus sit ignota.

In